

4. Duas autem, principaliores saltem, jam seligemus, *Græcam* scilicet & *Latinam*.

5. Græcorum *πρωτόπλαστος*, fuit Javan, filius Jephethi: ab eo enim Græcia nomen suum in scriptura Hebræa obtinuit *יָוָן*, contestantibus Prophetis, Daniele 8, vers. 21. cap. 10, vers. 20. Joële 3, v. 11. & Zachar. 9, vers. 13. Alexandrum Magnum præcisè principem Javan nominantibus. Idem etiam constat ex posteriorum Javanis sede, Genes. 10, v. 2. & 4. 1 Chron. 1, vers. 5 & 7. Et Joseph. de Antiq. Jud. capite 11. lib. 1.

6. Horum à regni primordio lingua, quantum à pura Hebræa abfuerit, non constat: multis siquidem annis post ii vixerunt, qui nobis aliquid de rebus Græcorum literis consignatum reliquerunt, puta *Homerum* antiquissimum Græciæ scriptorem, cujus seculum à Chronologo Setho Calvisio in annum Mundi 3074. ex sententia Apollodori Grammatici & Euphorbii Historici, à Solino verò in 3024. rejicitur. Hunc seculi sunt certim reliqua Græciæ lumina, Philosophi, Historici, Poëtæ omnium excellentissimi.

7. Illorum itaque scriptorum Linguam, qua etiam Apostoli & Legati Jesu Christi doctrinam, Novi Fæderis ad posteritatem conservarunt, si paulò penitius evolverimus, eam ortus sui principium Hebrææ (obscurius licet nonnihil præ Orientalibus) debere, inveniemus: negantibus id licet omnibus Græcis, de *αὐτοχθονία καὶ πρωτοπλασσία* sua contentiosissimis. Vide Josephum contra Appionem Grammaticum.

8. Ob-